Cracov. Stud. Univ. Jagell.
Promotiones Philos. Ord.
1645 13 8bris 5.

Wolski Matthiae Michaelis: Viridarium Heliconis Sarmatici botris autumnalibus efflorescens. Ingenuis Adolescentibus, primam in Philosophia lauream capessentibus - demonstratum.





VIRIDARIVM
Heliconis Sarmatici.

Botris Autumnalibus efflorescens.

Ingenuis Adolescentibus, primam in Philosophia lauream capessentibus.

Decanatu

Excellentiss. ac doctissimi Domini.

M. ALBERTI RAYMVNDI

S T R A Z Y C.

Philosophiæ Doctoris, Collegæ Minoris &c.

Promouente.

Excellente Domino

M. MARTINO SŁONKOWICZ

Collega Minore, Contubernij Iagelloniani Seniore.

Demonstratum.

Et per

MATTHIAM MICHAELEM WOLICKI. Eiusdem Laureæ Candidatum. Publicatum

Anno Domini 1645. 13. 8bris.

CRACOVIÆ.

In Officina Christophori Schedelij. S. R. M. Typ:

IN STEMMA
ILLVSTRISSIMÆ SŁVSZKARVM domus.



Lunarum in medio quid ſit? perpendite. Mucro eſt.
Słuſzkarum domus hoc nobile Stemma gerit.
Ille fugat Patrijs diros de finibus hoſtes.
Lunæ virtutum lucida ſigna notant.

NICOLAVS SZVLC,
Stud, Poet.



Perilluſtri ac Magnifico Domino.
D. SIGISMVNDO
SŁVSZKA.
Palatinidæ Troceñ: Homelieñ: & Propoyſcen.
CAPITANEO.

Domino & Fautori obſeruandiſſimo.

HOrtorum amænitate forſitàn delectaris: PERILLVSTRIS AC MAGNIFICE DOMINE: *quemadmodum ex Iconibus eorundem apud te perſpexi. Nec ſanè aſpernandum. Siquidem eorum amænitas animis oblectamenta adfert, curas de pectore pellit, ipſam denique imbecillem reficit valetudinem. Hortus eſt Alma hæc Cracouienſis, Academia, cuius ea eſt præſtantia, vt Sarmaticam hanc regionem, olim barbaram, odore ſuo non tantum illuſtrauerit, ſed etiam cæteris reddiderit laudabilem. Erectorem huius vide:*

 Rex

Rex fuit: & iam non regibus, ſed Diuis adſcribendus, omni ſemper celebrandus memoria. Hic operarij Profeſſores aſsiduo ingeniorum ſuorum ſtudio, creſcentes quotidie figunt palmites, vberrimos produnt fructus, iuuentus flores legit nobiliſsima, quò & Eccleſiæ ornamento, patriæ ſuæ adiumento, cæteris deniq; ſolatio ſit eximio. Ea etiam mens fuerat Illuſtriſsimi Tui Parentis, vt te ad tam celebre Muſarum Sarmaticarum ablegaret Viridarium. Quod ego tibi animo ipſo dedicare decreui. Tibi viſum eſt (inquam) dedicare: nam & ingens humanitatis tuæ ſignum in me eſt, & candor animi ſingularis, quo vt ſemper in me eſſes, ſemel factus es. Ego quidem glorior, & me fœlicem exiſtimo. Magna eſt Illuſtriſsimi Parentis Tui gloria, vt honores, ſtirpe & Nobilitate Sua promeruerit. Vniuerſæ tuæ familiæ ſplendor ſummus. Stemmata ipſa teſtimonio ſunt. Qui Mucrone Veſtro Othomanicas diſſecaſtis lunas, vt hucusq; in medio earum fixus conſpiciatur: glorioſum ſemper ipſis poſteris relicturi opus. Quo & Tu Perillvstris ac Magnifice Domine *vt celebrior fias, florentiſsimum hoc Sarmatiæ Viridarium, Tibi à me conſecratum beneuolo mentis affectu ſuſcipe, eumque Mucrone Tuo defende. Delectare ſuauiſsimis ex eo odoribus: & quanto carior & dulcior patriæ fieri poſsis, tantò vberiores ex eo percipias fructus. Oſtende te creuiſſe, hinc ſemina aliqua ſunt, virtutibus. Quod ego tibi apprecor ſubmiſſe.*

Perilluſtris & Magnifice Dominationis Tuæ.

Seruitor humillimus,

Matthias Michael Wolicki.

Floren.

Florentissimæ Parenti Academiæ

ODE Monocolos.

Mater Lechiadum, fulgida laus Craci,
O & Pieridum fons Academia.
Sunt qui te Phrygiam cum pretio ratem,
Fortunam gremio Lechiaci ſoli
Portantem volucri ſic animo ferunt.
Sunt qui te celebrant carmine regiam,
Reges quippe decet vox ſapientiæ.
Altricem iuuenum, qui penetralia
Diuorum vocitant, hic iuuenes decus,
Et Diui capiunt cælicolæ locum.
Sunt quos ferre tibi montis Olympij
Nomen, ſiue domus Caſtalidum, iuuat.
Fulges Sarmaticis ſplendida nam polis,
Et palmam Aonis præripis artibus.
Enſemque intrepido prouida militi
Das. Paucis referam, tu toga, tu ſagum.
Me delectat odor, nomina prouocat

Horti

Horti danda tibi, vel redolentium
Florum, palmitibus conſpicuæ domus,
Es ſane Heſperijs cultior hortulis,
Flores eliciens dulcia germina.
Hîc carpunt iuuenes poma fragrantia,
Hîc Phæbus roſeus floribus affluit.
Hîc & doctificus gaudet odoribus
Hortus, delicias cuique dabit ſuas.
Ergo fructiferis, conſite vitibus
Floreſcas roſeis floribus ætheri

Diuo Tutelari

IOANNI CANTIO

Academico Patriarchæ.

ET

Vigilantiſsimo Viridarij huius Cuſtodi.

ODE Dicolos Tetraſtrophos.

DIue, quem ſacra colit æde Cracus,
Cuius ad claram veneratur vrnam
Corporis caſti cineres, piaque
Voce fatigat.

Qui

Qui tenes cælis placidæ quietis
Littus optatum: nimis inquieto
Emari mundi exiliens, beatam &
Aſpicis arcem.

Quo nec inſani Boreæ tumultus,
Nec furor nubes glomerantis Auſtri,
Permeant vnquam, manet aſt perennis
Aula quietis.

Quo locus cuncti vacuus pericli
Sæua fortunæ nimium furentis
Tela contemnit: fruiturque pacis
Lege Beatæ.

Supplici ſeruit tibi corde Lechus
Te ſuis patrem vocat in periclis
Atque Patronum, tibi dat Sabæi
Thuris odores.

Te per excelſas cupit adnotari
Vrbium turres, niueaſque Craci
Ciuium ſedes, tibi caſta tumbam
Turba coronat.

Te coruſcantis tenet aula cæli,
Nos moleſtarum variâ tenemur
Mole curarum, dubiique ſurgunt
Vndique caſus.

Sub-

Barbaras noſtris procul ipſe pelle
Finibus turmas, fugiantque prædæ
Quos fames angit: celer hos ſub vndis
Obruat Iſter.

Summa ſit noſtri tibi cura regni,
Nos tuâ fulci prece, qua fatigas
Virginem Sanctam, Dominumque cæli
Cuncti potentem.

Tu decus noſtrum nitidumque Sydus
Peruigil cuſtos referentis horti
Artium fructus; Academici tu
Gloria Lauri.

Donec vmbroſis Heliconis aruis
Concinent dulces iterando cantus
Virgines Muſæ, tibi magna ſemper
Carmina ſurgent.

Quam diu florens Academicorum
Hortus in Lechi regione pulchros
Proferet fructus tua viuet omni
Tempore fama.

Subueni magnis Pater alme rebus
Te vocat fundens pia vota Lechus,
Et tibi pubes generoſa Lechi
Carmina pangit.

Cernis, vt fœde Scythici moloſsi
Ruſsiæ pingues populentur agros,
Eruant vrbes; rapidoque rura
Igne cremantur.

ODE Dicolos Diſtrophos.

Excellentiſsimo ac Doctiſsimo D.

Philoſophicæ facultatis DECANO.

TE iuuat aprici Splēdor cum fructibus horti,
Clarum Sydereæ Strazycii
Artis; tunc conceſsa tibi ſunt munera Floræ
Plurima, nec parum tibi prodeſt
Sydereas quæſiſse domos, ac mente rotundum
Percurriſse polum memorando.
Claret conſpicuus ſic primus Broſcius horto,
Vt Cedrus Libani vel vt alta.
Gratus & ancipitis (quamuis poſt funera) iuris
Pudłouius celebratur abunde.
Sydereæ præſtans laudatur & Hercius artis,
Tam nitidos producit odores.
Et tu fragrantis florebis palmitis inſtar,
Fructifero laudandus in horto.

En hortus præbet laudis iam ſigna futuræ,
Quam læta tibi voce precamur.

Excellentiſs: D D. Examinatoribus
ODE Dicolos Diſtrophos.

CElebre gaudet aureis ſatis genus
Trucis Iapeti floribus
Hortuſque tantis vitibus per æthera
Fertur renidens: Sed magis
Pomona Craci cum ſuis celebrior
Fulget nitetque vitibus,
Per æuiterna non tacendis tempora.
Si vis virentes arbores
Viret diſerta SLOMKOVII facundia,
Si fructuoſas palmites,
Fructus feraces cernes Wieczorkouij.
Si quæris atque nobiles
Sacrata palmes conuenit Krasnicio,
O Floridantes palmites
Tanti vireti, quæ fragrantes mentibus
Fructus & aureos datis.
Perennis Veſtra laus vigebit hortulo
Hortuſque tam clarus ſatis.

VV. DD. Candidatis primæ Laureæ. *ODE.*

IAm quicquid placidum protulit æthere
Ortis Ver reſerans prata Fauonijs.
Quicquid ſpicea toſtis
Æſtas frugibus attulit.
Cunctis pampineus poſsidet affluens
Autumnus, grauidus verſicoloribus
Pomis, nunc vigil vuas
Carpit, nunc Cerealia.
Hoſpes dona legit, pomaque pendula,
Fætus arboreos, & redolentia
Gratus munera Bacchi,
Autumnus riguo excipit
Horto, quas tetulit fructiferas opes.
Autumno iuuenes carpite punica,
Botros carpite vini
Nam hortus ſuauis odoribus.
Carpunt Serta duces, hic ſibi florida,
Carpunt Sacricolæ Palladis oleas,
Carpit vinitor vuas
Palmas turbaque militum.

Et vos doctiloquæ Palladis hortulo
Fructus Sacrifico carpite pollice,
Sacram docta Minerua
Poscit prouida dexteram.

I. V.D. SEBASTIANO OBELSKI

SAxosos pete vortices
Cliuosique iugi Scande cacumina,
Lætus montis Olympij.
Nec non laurigeræ culmina Palladis
Illic fraga rubentia
Floræ delicias, arboreos leges
Fætus, præmia Palladis
Splendet docta iugis Pallas in arduis,
Altis fraga fragrantia
Nascuntur siquidem peruia montibus.

II. V.D. IOANNI FRYNSKI.

ASsiduo Studio dulces celebrare Camænas,
Non neglexisti: nunc cape poma libens.

Maio-

Maiores tibi Parnassus vult reddere fructus,
Si bene legeris hic, laurea serta feres.
Sunt alijs flores: ast fert Academia odores
Vernantisque rosæ: tum violarum odor est.

III. V.D. ANDREÆ HANNON.

HOrti Sarmatici cupiens dum limina scandis
Felix crede mihi dulcia vina bibes.
Ad molles somnos Cytharam pulsabit Apollo
Huc aderũt Zephyri, tum leue murmur aquæ.
Ergo Helicone velis fructus captare secundos
In Cracio: tua mens hoc tibi monstrat iter.

IV. V.D. ALBERTO RAKOCKI.

VIdes vt hortis poma rubentia
Autumnus omni deses inertia
Decerpsit: ast Conatus iste
Tendit in ardua diligenter.
Ergo libenter poma rubentia
Cingens virenti tempora pampino

Diuos

Diuos Lycæi prædicando
Carpe per aſsiduos labores.

V. V. D. CYPRIANO STRYCZYN

IGnis aquam, glacies ſolem, lapis aëra, nolunt
Habere coniunctos ſibi.
Dici ſe Socialem dulce recuſat amari
Tu comparare fac queas.
Suauia ſunt læto nec ſuauia poma vireto,
Carpas libenti dextera.
Quæris: quæ poſſunt dici non ſuauia poma?
Quæ carpis ardua manu.
Dulcis haùd cura eſt, Sapientia dulcior illa,
Hæc iuncta ſunt ſemper ſibi.

VI. V. D. PETRO KINCZEWIC.

NOn idem cunctos recreat nec vna.
Omnibus mens eſt: alijs amæni
Perplacent fructus alijsque ſola
Florida palmes.

Quæ placent carpas redolentis horti:
Phæbeam laurum caput vt coornes.
Principum regum decorantur ipſa
Tempora lauro.

VII. V. D. MATTHIÆ FVGASZEWICZ.

FLorida nunc virides ſecum ferat Eggada palmas,
Hìc tua palma viret
Quam tibi pro magnis confert Academia curis
Ac vigili ſtudio.
Accipias igitur pulchri nunc Stemma tryumphi
Quod tua palma notat.

VIII. V. D. HYACYNTHO STVCKI.

NOn iam turgeſcant lauris, Permeſſus, & ingens
Pæneus: en lauros fert Academus ager.
Hìc hortus viridi cinget tua tempora lauro
Ornabitque tuum ſic Hyacynthe caput.

Ergo tuis meritis magnoq; parata labori
Horto ex florenti laurea serta refer.

IX. V. D. MATTHIÆ PIETRASZEWSKI.

PAmpinei turgent iam pleno nectare botri,
Palmesq; colla porrigit.
Carpe, tibi nitidos dulces & carpe corymbos
E tam patente palmite.
Hinc etenim poteris suaues exprimere succos
Mentem & lauare languidam.

X. V. D. MARTINO MIERNECKI.

ATlas fructibus inclytus
Nec elata gerat colla sub arduum
Diues terra Calabriæ.
Fert fructus nitidos nunc Academicus
Hortus: qui caperis fame,
Hanc pelles varia fruge scientiæ.
Si prædiuitis hortuli
Descendes sitiens ad Viridaria.

V. D.

XI. V. D. LVCÆ ZAKRZEWSKI.

CErne, suum vt laurus tenet inuiolata virorem,
Hortus & iste viret.
Sic tua si semper virtus conscendet inaltum,
Laureus inde viror.
Dum te ornat meritum lauris Academia Alumnũ.
Constantis precium grande laboris habe.

XII. V. D. MARTINO GOSKI.

VIrtutis dulces si vis cognoscere fructus,
Cognosces quos hic Lechicꝰ hortus habet.
Inuenies facile & Sapientum crescere fructus,
Carpere quos tua cum virtus & ipsa cupit.

XIII. V. D. STANISLAO IAWORKOWIC.


LArgius nunquam referent quotannis
Tyburis campi speciosa poma,

Aut


Aut Tylos vites geret, aut olentes
Thura Sabæi.
Vt refert hortus viridans Polonis
Vberes fructus, reficit iuuentus
Quêis Suas mentes, animumque morum
Flore coronat.
Iamq; florescens lege nunc aperto
Lilium in campo: tibi dat suaues
Hortus in Lechi regione clarus
Carpere flores.

XIV. V. D. IOANNI IAROCHOWSKI.

CResces in Viridantibus
Hortis ingenio tuo.
Ast adsit labor optimus
Fructus eximios feres.



AL-



ALBERTVS RAKOCKI.

V. D. MATTHIÆ MICHAELI WOLICKI.

Amoris ergo.

SArmaticis felix iam nunc remanebis in hortis
Laurea serta tibi Cracia musa dabit.
Iam qui floriferos monstrasti floridus hortos
Horti tam celebris dulcia poma cape.
Et studijs valeas vt prendere culmen honoris
Herculeos cures perdere mente dolos.
Nunc virtuti tuæ confertur laurea merces,
Pomona hæcq; tibi plurima poma dabit.



Sub felicissimis auspicijs.

MAGNIFICI, CLARISSIMI, & ERVDITISSIMI VIRI.

D. LAVRENTII SMIESZKOWIC

Philosophiæ & Medicinæ Doctoris. Procancellarij Almæ Acad. CRAC. necnon Vigilantissimi eius. dem.

RECTORIS.